

Vnwanus Bremensis Archiepiscopus, è choro Paderbornensi assumptus (uti id Adamus Bremensis scribit) primus omnium congregationes ad canonicam traxit regulam, quæ antea quidem mixtâ ex Monachis & canonicis conversatione debebant.

Annus Christi 786.

Hadriani Pont. 15.

Caroli M. Franc. Reg. 19.

Widekindus jam Christianus in Saxoniam reversus magno adjumento est religioni Christianæ.

Ann. Franc.

Ad hæc prospera & læta religionis exordia, Paderbornensi Ecclesiæ nostræ à Bernwulfo facta, accessit altero post anno magnum adjumentum præsidiumque Widekindus M. Nam postquam is cum Albione primario Saxonum Transalbianorum Duce, ceterisque proceribus Attiniaci fonte baptismatis ablutus esset, Paschaque cum Carolo M. incredibili totius Franciæ & Germaniæ gaudio celebrasset, jam in longè alium virum commutatus redijt in Westfaliam, & quam Christi religionem tot annis acerrimè oppugnârat, ipse & Albio ac ceteri Westfaliæ proceres, Christianis sacris ac legibus imbuti, ferventissimè propugnare ac dotare aggressi sunt. Nihilque antiquius exinde habuit Widekindus, quàm ut intra sacros diœcesis nostræ limites in vico Engern ad paternam arcem Basilicam cum Collegio Canoniorum D. Dionysio consecratam conderet, largèque dotaret. Hæc illa Basilica, in qua hodiedum magnificum ejus sepulchrum & Mausoleum conspicitur. Idem postea Mindæ, in quâ amplissimas bonorum possessiones arcemque habuit, fecisse memorant eorum annales; ut jam libera tandem Christi religio, post longas illas bellorum tempestates, ubique per Westfaliam & Saxoniam doceretur, templa confurgerent, populi ad fontem Baptismi & cœtus convenirent, proscriptoque Idolorum cultu sacra Christi triumpharent.

Annus Christi 787. &c.

Hadriani Pont. 16. &c.

Caroli M. Franc. Reg. 20. &c.

Carolus Pascha Romæ cum Pontifice celebrat.

Ann. Franc. Anast. in vita Hadriani.

Carolus interim profectus Romam Pascha cum magna celebritate peregit cum Adriano Pontifice, præterq; cetera tractavit cum eodem de firmandis per Saxoniam Episcoporum sedibus, cultuque religionis proferendo; quod jam Widekindi, Albionis, ceterorumq; procerum (quorum Baptisma & transitum ad Christi sacra magno cum gaudio Pontifici exposuit) securus esset; ut non sine causa scripserit Anastasius de hac tertiâ profectioe congressuque cum Pontifice, Carolum Pascha magna cum hilaritate cum Adriano Pontifice celebrasse

brasse